
SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE

VITARUM PLUTARCHEARUM

AUCTORIBUS ROMANIS

SCRIPSIT

HERMANNUS KLAPP.

BONNAE

APUD MAX COHEN ET FILIUM.

MDCCCLXII.

Eam quam mihi cepi quaestionem tractandam non vereor ne quis dicat iam esse expeditam, Quod enim solum extat opusculum de fontibus vitarum Romanarum Plutarchi, Heerenii dico librum, id nullius fere esse pretii iam alii multi viderunt. Nihil is fecit, si admodum pauca excipias, nisi auctores a Plutarcho commemoratos enumeravit. Nam qua temeritate auctores Plutarcho imputet tacere quam pluribus persequi praestat. Ut nonnulla tantum proponam, Sisennam a Plutarcho lectitatum esse ex eo concludit p. 134, quod is illum τὸν ἱστορικὸν nominat Lucull 1, 5; nusquam autem ne minima quidem similitudo intercedit inter Plutarchum et Sisennam, quoad quidem hunc novimus ex fragmentis. Praeterea, quamquam Plutarchus ipse Mar. 25, 6 26, 5 aperte se non ipsum Catuli opus novisse declarat, Heeren tamen non certum sibi iudicium hac de re assumit p. 149. Alia talis iudicii exempla infra videbimus. Ab aliis vero multa prolata esse, quae in usum meum convertere possem, negare nolo; quos suo quemque loco nominabo. Iam quod consilium in munere meo explendo secutus sim paucis indicabo. Id enim primum esse censui, undique conquirere, quibus locis hoc vel illo scriptore usus esse Plutarchus certo dici posset. Atque hac in re accidit, ut neminem nisi quos disertis verbis laudat auctorem eius affirmare possem. Cavendum autem erat, ne temere tale quid colligeretur. Velut inter Plutarchi et Caelii Antipatri nonnullos locos similitudo quaedam intercedere videbatur, et tamen ex Plut. C. Gracch. 1, 5 coll. Cic. de div. I, 26, 56 patet, non notum fuisse Caelium Plutarcho. Nec minus cavi, ne certis indiciis deficientibus unam alteramve rem eorum alicui attribuerem,

quos Plutarchum adhibuisse satis constat. Qui si in vita aliqua scriptorem aliquem nominat, inde colligere non licet hunc praecipue hac in vita auctorem eius fuisse, ut non raro factum est a viris doctis: qua in re audacius nobis illi videntur egisse quot scriptores Plutarchi in manibus fuerint reputantibus. Qua autem ratione auctoribus ille sit usus quamque inde fidem habeat tum demum, ubi totus fontium conspectus ante oculos positus fuerit, aliqua ex parte expediri poterit; nam certam quandam rationem dubito num quis inveniat.

Librum de orig. gent. Rom. ut par erat neglexi. — Niebuhrii hist. Rom. citavi V edit. l. I, IV ed. l. II, Plutarchi capp. et paragr. e Bekkeri edit. ann. h. s. LV—LVII.

Plutarchum constat sero demum linguae latinae operam dedisse; ipse enim hoc profitetur vit. Demosth. c. 2. Ubi cum addat, gratum quidem se existimare, si quis in linguae latinae virtutibus observandis versetur, sed accuratiorem talium curam non esse facilem eisque hoc negotium se relinquere, quibus plus otii et melior aetas suppetat, Schwegler hist. Rom. I p. 120 concludit, omnino illum parum novisse linguam latinam ideoque plurima sua a Graecis repetisse. Quod iudicium vereor ne nimis temere sit factum. Nam observato conexu sententiarum Plutarchus l. s. s. simpliciter dicit non ita se linguae latinae gnarum esse, ut Ciceronis et Demosthenis virtutes oratorias comparare conetur. Aliud autem est sic linguam novisse, ut quid scriptor aliquis sibi velit intellegamus, aliud sic, ut de dictione et de virtutibus oratoriis certum iudicium habeamus. Quorum hoc Plutarcho debemus abiudicare, ut ipse fecit l. s. s et Cat. mai. 7, 2, illud tribuere. Nam satis saepe et ipse fontes Romanos se adhibuisse profitetur et comparatis auctoribus Romanis horum operibus eum usum esse apparet.

Sed non leviter illa de neglectis fontibus Romanis opinio firmaretur, si ita, ut volgo perhibetur[1]), Plutarchum *Iubam* auctorem secutum esse probari posset. Quare si hanc quaestionem suscepero, non sane quae abhorrent a proposito tractabo.

Animadverterunt autem iam Heeren et Schwegler ll. s. ss.,

1) Cf. Heeren. de fontt. Plut. p. 110. Schwegler. h. R. I. p. 120 sq. Kiessling. de Dionys. Halic. auctt. lat. p. 7.

plerosque locos a Plutarcho ex Iuba allatos eiusmodi esse, quasi ex libro *περὶ αἰτίων* essent desumpti. Ideo sic Iubam historiam composuisse crediderunt, ut simul quaestiones de originibus institutorum et nominum Romanorum insereret. Sed esset profecto quod miraremur, Plutarchum in vitis eorum, qui ante bellum Punicum secundum vixere, nunquam Iubam commemorasse, nisi ubi de causis dissereret, cur haec vel illa res nomen suum accepisset. Propriam enim historiam tribus tantum locis agnoscimus, Compar. Pelop. c. Marc. 1, Sull. 16, Sertor. 4.

Cum autem ipse Plutarchus nusquam nomen operis Iubae prodat, quo usus sit, operae pretium sit inquirere, unde a Iuba historiam Romanam, quae antiquissima tempora complecteretur, scriptam esse iudicaverint viri docti.

Stephanus Byzantius quinque Iubae fragmenta servavit, duo ex *Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας* libro I (s. vv. *Ἀβοριγῖνες* et *Ὠστία*), unum ex *Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας* libro II (s. v. *Νομαντία*) unum ex scripti cuiusdam, cuius nomen omissum est, libro I (s. v. *Λαβίνιον*), unum ex scripto non nominato (s. v. *Ἀρδάκη*). Quodsi eundem librum significari statuimus vocibus *ἱστορία* et *ἀρχαιολογία*, quod fieri potest, cum ipse Stephanus Dionysii Hal. archaeologiam, quam plerumque hoc nomine vocat, s. v. *Λαούντιον* historiam nominet; et si praeterea omnes locos a Plutarcho citatos ex hoc haustos esse putamus, vix intellegimus, quomodo huius operis, ubi tam fuse de antiquitatibus quas dicimus sermo erat, libro secundo Numantiae mentio fieri potuerit. Nam ante belli Punici secundi tempora Romani sine dubio non noverunt hanc urbem[1]), nec multo ante sane Carthaginienses. — Si vero diversos libros historicos esse archaeologiam et historiam ponimus, ex quorum altero desumpta sint fragmenta quae apud Stephanum extant s. vv. *Νομαντία*

---

1) Primum quod sciam Numantia commemoratur ex a. IϽLIX; eo enim tempore Gellius XVI, 1, 3 declarat orationem Catonis Numantiae apud equites habitam esse.

et Ἀρβάκη et apud Plutarchum Compar. Pel. c. Marc., Sull., Sertor. ll. s. ss., ex altero reliqua fragmenta, quae apud Plutarchum et in vitis et in quaestionibus Romanis atque apud Stephanum Byzantium reperiuntur, primum non perspicimus, cur Iuba, si quidem historiam et archaeologiam inter se differre voluit, archaeologiae voce res Romanas posteriores significaverit, priores historiae voce. Praeterea inde, quod bis librum primum scripti non nominati laudat, sequi videtur, unum tantum opus Iubae ei notum fuisse.

Circumspiciamus igitur oportet, quomodo has difficultates expediamus. Atque primo quidem aspectu facillimum videtur, mutare numerum libri, ex quo de Numantia refertur, ni ipsum fragmentorum genus aliam viam suaderet. Nam tria illa fragmenta, quae historiam antiquissimorum temporum nos intellegere cogunt, meo quidem iudicio Iubae esse non possunt. Nam quod de fragmento s. v. Ἀβοριγῖνες iam suspicati sunt C. Mueller fragm. histor. gr. III p. 469 et Meineke ad Steph. Byz. p. 7., verba esse Dionysii Halic., commutatumque esse Iubam cum Dionysio, maxime confirmatur fragmento tertio s. v. Ὠστία.

Stephan. Byz.	Dionys. I, 9.
Ὠστία πόλις Ἰταλίας. Ἰόβας ἐν πρώτῳ Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας·	
ἀπὸ μὲν τῶν βορείων μερῶν ὁ Τίβερις, Ὠστία πόλις πλησίον.	ἀπὸ μὲν τῶν βορείων μερῶν ὁ Τέβερις, Ὠστίας πόλεως πλησίον.

Genetivum Ὠστίας πόλεως aqud Stephanum quoque fuisse vero est simile; optimi enim duo codices Ὠστιὰς πόλις praebent, unde iam Meineke, quamquam non novit Dionysii locum, genetivum elicuit. Appono reliqua duo fragmenta:

Stephan. Byz.	Dionys. I, 9.
Ἀβοριγῖνες, ἔθνος Ἰταλικόν, ὡς Ἰόβας ἐν Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας πρώτῳ· μέχρι μὲν οὖν τοῦ Τρωικοῦ πολέμου τὴν ἀρχαίαν	μέχρι μὲν τοῦ Τρωικοῦ πολέμου τὴν ἀρχαίαν

Ἀβοριγίνην[1]) διέσωζαν, Λατίνου δὲ βασιλεύσαντος οὕτως προςηγορεύθησαν.

Stephan. Byz.

Λαβίνιον, πόλις Ἰταλίας, Αἰνείου κτίσμα. Ἰόβας ἐν πρώτῳ· ἀπὸ τῆς τοῦ βασιλέως θυγατρὸς Λαβινίας.

τῶν Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν ἔτι σώζοντες, ἐπὶ δὲ Λατίνου βασιλέως — Λατῖνοι ἀρξάμενοι καλεῖσθαι.

Dionys. I, 59.

ὄνομα δὲ τῷ κτίσματι Αἰνείας τίθεται Λαουΐνιον, ὡς μὲν αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν ἀπὸ τῆς Λατίνου θυγατρὸς, ἢ Λαῦναν[2]) εἶναί φασι τοὔνομα.

Quem consensum nisi vel alterum alterius opere impudenter esse usum vel Stephanum aut eius epitomatores[3]) eos confudisse existimamus, explicare non possumus. Nam si quis epitomatores nonnulla omisisse putaverit ita ut Dionysii verba male ad Iubam relata essent, id quod haud paucis Stephani locis accidit, permiro profecto casu factum esset, ut bis in eisdem scriptoribus hoc vitium extaret (nam tertium fragmentum exciperemus), simulque in numero illo s. v. Νομαντία elato peccatum esset. Praeterea talis vitii nullum hic reperimus vestigium[4]). In illa autem quaestione diiudicanda videndum est, uter prior scripserit. Atque Dionysium quidem a. u. IↃCCXLVII historiam suam incepisse scimus ex ipsius verbis I, 7, Iubam vixisse circ. IↃCCIV—IↃCCLXXVI (cf. Plaggium de Iuba II. p. 8. 23). Eodem igitur fere tempore sine dubio uterque scripsit. Aequalium autem scriptorum alterum ab altero tali modo exscribi minimam habet veri speciem, praesertim cum neutri nec industriam nec copiam scribendi ex veteribus annalibus defuisse consentaneum sit. Neque ullo, opinor, exemplo aliunde petito tale quid demonstrabitur[5]).

---

1) Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν coni. Meineke.

2) Λαουνίαν Urb.; Λαουΐνίαν Dionys. videtur scripsisse.

3) Cf. Niebuhr. hist. Rom. II p. 64 ann. 109.

4) Non multo minorem casum esse, si utrumque eundem auctorem secutum in eadem verba incidisse censeremus, unusquisque videt.

5) In locis illis similibus, qui apud Tacitum et Suetonium inveniuntur

Dionysius praeterea, qui tot auctores nominat, nunquam Iubam commemorat, nec Iuba sic a Plutarcho laudibus extolleretur, si ex historia Dionysii tam ad verbum furatus esset. Nam ex tribus locis casu servatis eisdem fere verbis scriptis cum veri similitudine efficeretur, omnino saepe usum esse alterum altero. Quod tantum abest ut ex ceteris Iubae fragmentis satis multis appareat, ut praeter hos locos nullus inveniatur similis; recte enim eam similitudinem, quae inter Iubam apud Plut. Rom. 15, 3 et Dionysium II, 30 intercedit, Kiessling l. s. s. p. 27 videtur removisse.

Itaque recte colligi existimo, apud Stephanum Byzantium Iubam confusum esse cum Dionysio, quod non raro ibi accidit in nominibus aliorum scriptorum. Nam quod ter Herodotus pro alio scriptore positus est, fortasse pro Herodiano, ut suspicatur Meineke (s. vv. *Ἀλάβαστρα, Καλαμένθη, Κανθηλία*), et bis Menander pro Alexandro secundum Meinekii coniecturam (s. vv. *Τάναγρα* et *Τέμβριον*), nonne idem, quod nominum similitudine factum est, fieri potuisse credamus librorum simili inscriptione?

Restat ut de fragmentis secundo et tertio a Stephano servatis nonnulla addamus. In fragmento secundo quae intercedunt differentiae inter Stephani et Dionysii verba, eae inde explicantur, quod aut Stephanus aut eius epitomatores nec participium ferre et enunciationem breviare voluerunt. Hoc ut ex vocula *οὕτως* non sine aliqua neglegentia posita, ita fortasse ex verbis *τὴν Ἀβοριγίνην* patet. Quod genus parum accurate aliorum verba citandi cum ab omnibus grammaticis tum a Stephano minime est alienum [1]). — De tertio fragmento dicendum erit, ex multis quidem scriptoribus Stephanum haurire potuisse illam etymologiam. Sed cum bis hos auctores

(cf. Lehmann. de Claudio et Nerone p. 40 sqq)., verba utriusque satis inter se differunt.

1) Simile exemplum v. ap. Steph. s. v. *Ἀπάτουρον* coll. Strab. XI p. 495.

commiscuerit, cum non intellegamus, quo loco eius operis, cuius libro secundo Numantia commemorabatur, Lavinii mentio fieri potuerit, denique cum illa explicatio in Dionysii libro I inveniatur, huic scriptori eam tribuere non dubito.

Reliqua vero duo fragmenta apud Stephanum non est causa cur Iubae esse negemus. Pertinent haec sine dubio ad id opus quo tria illa apud Plutarchum ll. s. ss. Tamen quod est fragmentum Plut. Sertor. 9, id utrum ex hac historia Romana an ex Libyca haustum sit diiudicari nequit, nec magis unde sit fragmentum apud Athen. VI p. 229 C.

Nec Iubae historiam Romanam a Stephano archaeologiam appellari mirabimur. Nam ut supra iam dixi neque Stephanus discernit historiae vocem ab archaeologiae, et Iuba libro a bellis Punicis incipienti optime sic inscribere potuit, sicut Tacitus quoque ab Augusti principatu novam quandam temporum seriem incipiens antecedentia omnia vix saeculo a sua aetate distantia vetera appellat ann. I, 1 (cf. Boetticher. lex. Tac. p. 487). Sin quis in eo offendat, quod opus vix praeterita, ut Sullae res gestas, complectens archaeologia vocetur, is idem fieri cogitet, etiamsi historiam antiquissimorum temporum Iubae concedamus. Reliqua autem Iubae fragmenta apud Plutarchum et in vitis et in quaestionibus Romanis extantia libro videntur assignanda, ubi sicut in operibus, quae αἴτια nominantur, cur suum cuique rei nomen datum esset, inquirebatur, et unde instituta origines traherent. Huic opinioni omnia fragmenta favent, etiam quae Plut. Rom. 14, 6 et 17, 5 leguntur. Numerus enim raptarum Sabinarum optime potuit proferri in nomine Talasii (Plut. Rom. 15, 3), opinio de culpa Tarpei in nomine montis Tarpei explicando.

Historia igitur antiquissimorum temporum a Iuba scripta Plutarchum usum esse non contendemus, quia num ille scripserit nescimus. Id tamen libenter concedo, saepe in antiquitatibus quae dicuntur enarrandis Plutarchum eum adhibuisse, quamquam non ubique ei assentitur, cf. Plut. Rom. 15, 3. Num. 13, 6.

Iam, remotis nimiis de Iubae apud Plutarchum aucteritate iudiciis, transgrediamur ad scriptores latinos. Inter quos primo loco nomino *Q. Fabium Pictorem*, quem graece et latine annales suos edidisse nunc constat [1]. Plutarchus autem utrum graecos an latinos annales adhibuerit non est quod quaeramus. Nam iure miraremur, si scriptor graecus opus latine scriptum praeferret eidem patrio sermone composito. Nec parvi Fabium aestimat, cum praesertim is fuerit hic, qui non ut paene omnes historici posteriores colorem mythicum rebus detraheret, sed omnia sic ut erant tradita narraret. Ita postquam Romuli et Remi historiam inde ab Amulii facinore contra Numitorem commisso usque ad Amulii mortem exposuit, Fabium defendit his Rom. 8, 7: *ὧν τὰ πλεῖστα καὶ Φαβίου λέγοντος καὶ τοῦ Πεπαρηθίου Διοκλέους, ὃς δοκεῖ πρῶτος ἐκδοῦναι Ῥώμης κτίσιν, ὕποπτον μὲν ἐνίοις ἐστὶ τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες, οὐ δεῖ δὲ ἀπιστεῖν τὴν τύχην ὁρῶντας οἵων ποιημάτων δημιουργός ἐστι, καὶ τὰ Ῥωμαίων πράγματα λογιζομένους ὡς οὐκ ἂν ἐνταῦθα προὔβη δυνάμεως μὴ θείαν τινὰ ἀρχὴν λαβόντα καὶ μηδὲν μέγα μηδὲ παράδοξον ἔχουσαν.* Maximam igitur partem huius narrationis ex Fabio desumpsit, ut etiam Rom. 3, 1 profitetur: *ταῦτα μὲν οὖν Προμαθίων τις ἱστορίαν Ἰταλικὴν συντεταγμένος εἴρηκε· τοῦ δὲ πίστιν ἔχοντος λόγου μάλιστα καὶ πλείστους μάρτυρας τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς Πεπαρήθιος, ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθηκε;* nam recte Niebuhr h. R. I p. 235 de Diocle, quem ne Dionysius quidem novit, fontium historiae Romanae acerrimus indagator, aliique multi videntur iudicasse. Accedit testimonium Dionysii, qui I, 79 Fabii narrationem exhibet. Sic Pictorem secutus Plutarchus exponit de pueris in ripa Tiberis positis, qui tum forte super ripas effusus erat; de lupa infantibus mammas praebenti, de pico

1) Postquam Niebuhr hist. Rom. II p. 631 sq. Nipperdey Philol. VI p. 131 Becker antiqu. Rom. I p. 40 sq. Ser. Fabium Pictorem atque Hertz excurs. philol.-clin. p. 32 sq. Numerium ex historicorum numero expulerunt.

nutrimenta afferenti[1]); de Faustulo geminos domum ferenti et educanti, de eorum pulchritudine et prudentia, denique de Remo Albam a Numitoris pastoribus abrepto, cum absens erat Romulus sacra faciendi causa. — Neque minus eas res, quae secuntur, auctoritate Fabii confisus Plutarchus tradit, id quod et ipse indicat Rom. 8, 7 et Dionysius ostendit, qui, postquam initio c. 80 Fabii narrationem interrupit interiecta Aelii Tuberonis mentione, Fabii rursus vestigia premit, ut ipse dicit c. 83 s. fin.: ταῦτα μὲν οὖν τοῖς περὶ Φάβιον εἴρηται. Prorsus autem Plutarchus conspirat cum Dionysio, nisi quod singula quaedam et parva diverse ab eis narrantur[2]). Numitor igitur Remum agnoscit, Faustulus qui, ut geminorum regiam stirpem probet, scapham, in qua erant expositi, affert, ab Amulii militibus captus, procul ab Alba Romulum et Remum pascere mentitur. Itaque hominem Amulius ad Numitorem mittit, qui, ut Plutarchus narrat, num sciat hic superstites esse pueros videat, ut vero Dionysius, Numitorem custodiat. Sed nuncius Amulii Numitorem de illius insidiis certiorem facit. Qua re cognita Romulus cum amicis urbem invadit et Amulium occidit. — Similiter Plutarchus Fabium secutus quarto mense post urbem conditam Sabinas raptas esse tradit, abstinens a Gellii ratione, cui quarto anno hoc factum esse aptius videbatur, Dionys. II, 31. — Neque Rom. 17, 2 sq. Pisonis absurdam fabulam de Tarpeia accepit, quam hic amore patriae a Sabinis scuta petisse et eorum pondere mortuam esse affirmaverat; maluit Pictori credere proditionis eam accusanti, cf. Dion. II, 38.

---

1) Nam quamquam et Dionysius et Livius I, 4 de pico tacent, tamen Fabium, ut in latinis annalibus (cf. Non. p. 518 s. v. Picumnus), ita in graecis quoque hunc commemorasse vero est simile. Non est enim credendum Reiskio, Dionysium hoc loco ipsa Fabii verba afferre, quamvis Harless de Fabiis et Aufidiis p. 6 ann. 3, Macaulayi auctoritate nisus, Reiskio assensus sit; cf. quae contra hanc opinionem post alios nuper collegit Kiessling l. s. s. p. 9.

2) Pars discrepantiarum inde explicari debet, quod Plutarchus res in brevius contraxit.

— In Fabii Maximi vita cum et per se sit vero simile et ex comparatione cum Livii opere colligi liceat, qui Fabium inspexit (XXII, 7), Plutarchum non neglexisse Fabii annales, tum de origine Fabiorum nominisque eorum quae prodit c. 1 partim inde fluxisse pro certo sane contendi potest. Neque dubito quin ea, quae narrantur 24, 4 de oratione funebri a Fabio Maximo habita, Pictori debeantur.

Venio nunc ad *M. Porcium Catonem*, de quo plura erunt dicenda.

Volgata est opinio, Plutarchum ad vitas conscribendas adhibuisse Catonis origines [1]). Quod cum per se, quamquam disertis verbis origines nusquam citantur, non possit repudiari, tamen mihi quidem persuasum est, non usum esse originibus Plutarchum. Fragmentorum autem Catonis, quae satis multa habemus haud dubie ad origines pertinentia, quattuor tantum sunt, quae cum Plutarchi narrationibus conspirent; leguntur ea Macrob. Sat. I. 10, 16 cf. Plut. Rom. 4, 3 de Acca Larentia lupa i. e. meretrice; Serv. ad Aen. V, 755 cf. Plut. Rom. 11, 2 sq., ubi Romulus 'urbem designat aratro'; Liv. XXXIV, 5 cf. Plut. Rom. 19, 1 sqq. de intercedentibus mulieribus in proelio Romanorum et Sabinorum; Gell. X, 24, 7 cf. Plut. Fab. Max. 17, 1 de intermissa ab Hannibale persecutione post cladem Cannensem. Sed vide quomodo comparatae sint hae historiae. Accam Larentiam enim Valerius Antias quoque, ni fallor, meretricem vocaverat teste Gell. VII (VI), 7, 6; quae autem quarto loco posui, ut eorum primus auctor fuerit Cato, ea sine dubio a plerisque historicis tradebantur. Morem illum promoerii constituendi sane non solus Cato exposuerat; simillimam certe Varro de l. l. V, 143 explicationem dedit, nec defuisse credendum est, qui rerum vetustarum studiosi accuratius etiam haec omnia describerent. Nec magis vero est simile, de mulieribus in ipsa pugna, non,

1) Heeren l. s. s. p. 126 sq. Merkel prolegg. ad Ovid. fast. p. LXXXII ff. Iordan in annal. philol. LXXIII p. 386.

ut Cn. Gellius narraverat, quo Dionysium usum esse ant. II, 45. 46 egregie collegit Merkel l. s. s. coll. Charis. I p. 39 (P.) et Gell. XIII, 23, cum otium agebant Romani et Sabini, intercedentibus solum illum esse locutum. Saepe autem posteriores historicos origines exscripsisse videmus ex testimoniis Gellii X, 24, 7 (de Caelio Antipatro) et Prisciani X p. 903 (P.) (de Cassio Hemina).

Non igitur cogimur, ut Plutarchum originibus usum esse statuamus; nam quod fragmentum extat Plut. Coriol. 14, 1 (cf. quaestt. Rom. 49), id Iordan (M. Catonis quae extant p. 29) ratione non sufficienti prolegg. p. LIX exposita in origines delegit, cum in ea oratione quam dixit Cato de ambitu aut in alia qua corruptos mores castiganti aut etiam in carmine de moribus exhiberi potuerit. — Atque nunc, necessitate sublata quae origines a Plutarcho lectas esse nos profiteri iuberet, nonnulla afferam, quibus non id factum esse probari existimo. Notitiam eum quandam originum Catonis habuisse negari nequit; nominat enim Cat. mai. 25, 1 *ἱστορίας* Catonis. Sed primum mirum esset, Plutarchum, si legisset origines, quae sane erant cum eximio veritatis studio compositae pro viri illius indole et 'in quibus multa industria et diligentia conparebat', ne uno quidem verbo praestantiam earum laudasse nec quidquam quod singulare sibi visum esset protulisse, sicut fecit in opere eius de re rustica. Accedit autem aliud idque gravius. Cat. mai. 20, 5 sic scribit Plutarchus: *καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς* (sc. *Κάτων*) *ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν, ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχοι τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι.* Quibus verbis historiam antiquorum temporum significari apparet inde, quod filius ex hoc opere vetera et patria discere debuit; non igitur, ut nonnulli opinati sunt, praecepta ad filium intellegenda sunt, in quibus licet multa fuerint de maiorum moribus, non tamen ea potissimum inde discebantur. Origines autem hoc scriptum fuisse, solo articulo *τὰς ἱστορίας* patet; non igitur epitome quaedam a Iordano prolegg. Cat. p. XXI acci-

pienda est. Quomodo autem Plutarchus, si legisset opus illud, ubi unde nomina urbium, montium, populorum derivarentur, unde populi Italici origines traherent, ubi denique praeter multa alia ab animo puerili aliena historia Accae Larentiae quaestum facientis exposita erat, quamquam ipso Plutarcho teste l. s. s. Cato puero praesente obscaenis verbis abstinebat diligentissime, quomodo, inquam, Plutarchus tale opus a patre adhibitum esse potuisset dicere, ut filium legere doceret? Haec omnia iam viderunt ei, de quibus modo dixi, sed verbis vim afferre quam Plutarchum non legisse origines affirmare maluerunt, id quod simplicissimum fuit; nam ut supra ostendi certa originum vestigia in vitis non reperiuntur. Fons autem erroris Plutarchi facile indagatur. Cum enim invenisset, Catonem historias filio magnis litteris conscripsisse, quia non novit indolem originum, has dici opinatus est, non reputans simplices narrationes quoque illa voce significari. — Quodsi cui forte minus probabile videatur, Plutarchum celeberrimum opus Catonis, in quo multa proposito suo convenientia praecipue in vita Catonis describenda posset invenire, non legisse, is recordetur, nec ita diu origines lectas esse (cf. Iordan. l. s. s. p. LX) et orationes ex eis excerptas extitisse teste Gell. XIII, 25 (24), 12 atque diu in manibus hominum fuisse (cf. Iordan. l. s. s. p. LVIII et XCVI). Nec parvam copiam historico Catonis vitam ex scriptis eius praecipue construere volenti et ex his orationibus et ex ceteris redundasse iure coniciemus ex eo, quod Catonem minime suae laudis parcum fuisse constat.

Orationes autem Catonis non paucae et alia eius opera a Plutarcho lectitata sunt. Sed existit quaestio, num omnia, quae in hac vita insunt a Catone dicta, Plutarchus ex ipsius operibus sumpserit. Atque nonnulla apophthegmata Iordan ann. phil. l. s. s. p. 386 Polybio vindicavit; alia ad collectionem aliquam dictorum Catonianorum, non ab ipso Catone, ut nonnulli male suspicati essent, sed ab aliis partim ex scriptis, partim ex eis, quae oribus hominum ut Catoniana lata

essent, factam recedere optime coniecit[1]). Addidit autem ann. ph. l. s. s. p. 385, certa vestigia talis collectionis non extare[2]). Quae equidem invenisse mihi videor. Nam postquam Plutarchus 2, 4 Catonem sero demum Graecis litteris operam dare coepisse et multum ex eis profecisse dixit, sic pergit: *τὰ μέντοι συγγράμματα καὶ δόγμασιν Ἑλληνικοῖς καὶ ἱστορίαις ἐπιεικῶς διαπεποίκιλται καὶ μεθηρμηνευμένα πολλὰ κατὰ λέξιν ἐν τοῖς ἀποφθέγμασι καὶ ταῖς γνωμολογίαις τέτακται.* In his cum volgo quae vocantur apophthegmata ad Catonis collectionem, quam fecit dictorum memorabilium referantur, recte Iordan ann. ph. l. s. s. p. 388 minime vero simile esse contendit, *γνωμολογίας* illas ad collectionem quandam e Catonis dictis confectam spectare. Ubi mirari licet quod nemo ex eis, qui hunc locum diligenter pertractarunt, animadvertit, nec collectionem illam Catonianam nec carmen de moribus nec ullum aliud Catonis opus huc quadrare. Nam si Catonianum opus aliquod intellexisset scriptor, nullo modo id opponere potuisset scriptis Catonis (*συγγράμματα*); nonne enim et apophthegmata et carmen de moribus scripta essent Catonis? Aperte scriptis opponuntur dicta[3]), quae si in orationibus legisset Plutarchus et ipsa essent scripta; scripta autem iam narravit multis graecis esse ornata. Consentaneum est igitur, non posse hic intellegi dicta ex Catonis scriptis vel potius ex solis

---

1) Annal. philol. l. s. s. p. 384 sqq. prolegg. Cat. p. CVI sq., praecedente Iano ad Macrob. Sat. II, I, 15.

2) Quamquam postea falsum quoddam vestigium reperit. Nam Cat. mai. 7, 2 nihil aliud Plutarchus dicere volt quam hoc: 'Alii de orationum indole iudicent, ego vero pauca memorabile dicta referam'. Quae unde sumpta sint ex ipsis verbis non elucet. Non recte igitur Iordan ann. ph. l. s. s. p. 389 et prolegg. Cat. p. CVI sibi persuasit, collectionem dictorum hic significari. Nam illa apophthegmata ex quovis libro aut ipsius Catonis aut alius scriptoris repeti poterant.

3) Similiter dicta scriptis opponuntur Plut. C. Gracch. 4, 4, ubi postquam *ἀπομνημονευόμενον* C. Gracchi relatum est, adicitur: *πολλὰ λαβεῖν ἐκ τῶν γεγραμμένων ἔστιν ὅμοια.*

scriptis, in quorum numero orationes quoque erant, desumpta, sed quae magnam partem tantum ad nomen eius referebantur. Ac nunc forsitan existimaret quis, γνωμολογίαι voce sententiarum collectiones significari. Sed certis exemplis Iordan mus. Rhen. nov. XIV p. 266 et ἀποφθέγματα et γνωμολογίαι voces sic coniunctas nihil nisi sententiose dicta esse probavit. Aliud vero, ni fallor, indicium habemus collectionum quarundam ex Catonis dictis factarum. Nam τέτακται verbum non simpliciter meo iudicio significat, multa ex graeco sermone versa ad Catonem esse relata vel inter eius dicta numerata (tum enim multo melius, ne dicam unice recte praesenti tempore uteretur Plutarchus), sed in Catonis dictis h. e. in collectionibus dictorum Catonianorum posita fuisse. Non autem sic accipienda sunt verba, quasi Cato in singulis dictis multa graeca posuerit, ut in scriptis. Nam secundum dictorum naturam, quae sunt brevia nec possunt ex compluribus partibus componi, nullam aliam notionem possumus elicere, quam saepe Catonem tota apophthegmata totasque sententias ex graeco sermone vertisse, quae in dictis eius posita essent, non ab ipso Catone, quia neque hunc sua dicta collegisse nec omnino scripta huc quadrare supra indicavi. — Quae vero dicta ad has collectiones recedant non audeo diiudicare. Duo tamen exempla huc pertinere crediderim, Cat. mai. 8, 2 sq., ubi Plutarchus addit: τοῦτο μὲν οὖν ἐκ τῶν Θεμιστοκλέους μετενηνεγμένον ἀποφθεγμάτων, et 24, 5: ταύτην δέ τὴν γνώμην πρότερον εἰπεῖν φασι Πεισίστρατον. His enim verbis Plutarchus id, quod supra dixerat de graecorum dictorum versione, videtur confirmare velle.

Sed, ut iam diximus, minime dubium est, quin Plutarchus nonnulla Catonis scripta legerit. Hoc evincitur ex Cat. mai. 2, 4, ubi Plutarchus primum narrat traditum esse, Catonem sero demum graecos libros in manus sumpsisse et minus a Thucydide, plus a Demosthene profecisse, tum pergit: τὰ μέντοι συγγράμματα καὶ δόγμασιν Ἑλληνικοῖς καὶ ἱστορίαις ἐπιεικῶς διαπεποίκιλται. Liquet enim Plutarchum hoc

loco quae ipse in Catonis scriptis invenerat opponere eis, quae ab aliis ferebantur. Lectas autem a se orationes nonnullas ostendit c. 7, ubi iudicium quoddam de dicendi genere Catonis facit; quas legerit non indicat; certe non vidit eam, quae erat in L. Quinctium Flamininum, cf. T. Flamin. 18, 4. — Omnino difficillima haec quaestio, ubi ipsum Catonem, ubi alios scriptores de eo loquentes, ubi apophthegmata illa ac sententias Catonianas ante oculos habuerit. Pauca enim habemus, quibus unum alterumve quasi certis adminiculis fulcire possimus. Sed tamen non recte videtur Iordan in annal. phil. l. s. s. p. 386 statuisse, nihil de hac re eo effici, quod Plutarchus modo adhibito tempore praesenti (*φησί*), modo imperfecto (*ἔφη*) aut aoristo (*εἶπε*) Catonis verba laudaret. Atque de praeterito quidem tempore prorsus facio cum eo, cum quae ipse legit in Catonis scriptis Plutarchus, sub forma narrationis prodere possit. Aliter vero sentio de praesenti tempore. Hic discernere possumus ex conexu verborum, utrum praesens quod vocamus historicum usurpatum sit: tum eadem existit quaestio ac si praeteritum aliquod tempus sit positum; an verum extet praesens: tum certo Plutarchus ex operibus Catonis hausisse sua dicendus est, nisi omnino fontium scriptoris alicuius indagationem ex eis, quae ipse nomine auctoris addito inde se sumpsisse declarat, irritam iudicare volumus. Solum autem praesentis historici exemplum est illud, quod Iordan, ut opinionem suam firmet, ex Cat. mai. 24, 3 proponit: *τοῦ δ' ἀνθρώπου φήσαντος, ὡς οὐδὲ μέλλει μὴ πρότερον ἐκείνῳ κοινωσάμενος, 'καὶ μὴν ἐγώ σοι', φησίν* (sc. *Κάτων*), *'εὕρηκα κηδεστὴν ἐπιτήδειον, εἰ μὴ νὴ Δία τὰ τῆς ἡλικίας δυςχεραίνοιτο· τἆλλα γὰρ οὐ μεμπτός ἐστι, σφόδρα δὲ πρεσβύτης'. ὡς οὖν ὁ Σαλώνιος ἐκέλευε κτλ.*

Itaque Catoni ipsi tribuenda erunt, quae dicit apud Plutarchum 1, 1 de patre et abavo suo, quaeque praedicat de prima sua militia 1, 6, de continentia sua 4, 3. 4 et 10, 4 (de 4, 5 iam supra locutus sum), et de more suo, quem Plutarchus c. 5 pluribus increpat, mancipia et animalia remo-

vendi, ea si inutilia facta sint 4, 4 et 5, 6. Res a se in Hispania gestas laudat 10, 3. Num ea, quae leguntur 12, 5: *θαυμάσαι δέ φησι τοὺς Ἀθηναίους κτλ.* ex ipso Catone referat Plutarchus, ambigi potest. Nam cum antea narratum sit, quomodo Cato Albinum graece scribentem vituperasset, *φησὶ* verbum pro praeterito tempore positum orationem continuare potest; tum non ex ipsa Catonis oratione haec fluxissent, si quidem non est vero simile, hanc orationem scriptam fuisse. Alio tamen loco Catonem hoc dixisse probabilius mihi videtur, cum praesertim Polybius p. 1169 sq. (ed. Bekker), qui illa de Albino narrat, horum nihil prodat. Fortasse haec de praestantia latini sermonis disseruit in libro quodam ad Marcum filium scripto rhetorico, cf. Plin. h. n. XXIX, 7, 14 sq.: 'Dicam de istis Graecis suo loco, Marce fili; quid Athenis exquisitum habeam' cet. Eidem libro, si quid video, tribuenda sunt, quae legimus apud Plutarchum 23, 2: *τὸν δὲ παῖδα διαβάλλων πρὸς τὰ Ἑλληνικὰ φωνῇ κέχρηται θρασυτέρᾳ τοῦ γήρως, οἷον ἀποθεσπίζων καὶ προμαντεύων ὡς ἀπολοῦσι Ῥωμαῖοι τὰ πράγματα γραμμάτων Ἑλληνικῶν ἀναπλησθέντες*, et quae ibidem de Isocratis doctrina iocose dicuntur. — Thermopylensis victoriae contra Antiochum sibi maxima ex parte meritum vindicat 14, 3; virtutibus et honore a senatu sibi habito gloriatur 9, 5. 6, educatione filii 20, 5. Ex libro aliquo affertur Compar. Aristid. et Cat. 5, 2 *τὸ ἐπαινεῖν αὐτὸν ὥςπερ τὸ λοιδορεῖν ἄτοπον εἶναι.*

Quibus quodque horum scriptis depromptum sit non audeo diiudicare; nimis enim fluctuat iudicium. Ut uno tantum exemplo utar, quae 4, 3. 4 a Catone dicuntur potuerunt proferri in orationibus de sumptu, de suis virtutibus contra Thermum, in orationum censoriarum una alterave.

Certius aliquanto iudicium habemus de 21, 8: *προτρέπων δὲ τὸν υἱὸν ἐπὶ ταῦτα φησιν οὐκ ἀνδρὸς ἀλλὰ χήρας γυναικὸς εἶναι τὸ μειῶσαί τι τῶν ὑπαρχόντων*, quae verba fragmentis de agri cultura ad filium recte videtur inseruisse Iordan Cat. quae ext. p. 79. Ex eodem libro vero simile est sumpsisse

Plutarchum quae exhibet 4, 5 (cf. Senec. epp. 94, 27): *ὅλως δὲ μηδὲν εὔωνον εἶναι τῶν περιττῶν, ἀλλ' οὗ τις οὐ δεῖται, κἂν ἀσσαρίου πιπράσκηται πολλοῦ νομίζειν*[1]*· κτᾶσθαι δὲ τὰ σπειρόμενα καὶ νεμόμενα μᾶλλον ἢ τὰ ῥαινόμενα καὶ σαιρόμενα*, et 21, 5: *ἀφ' ὧν* (sc. *λιμνῶν, ὑδάτων θερμῶν κτλ.*) *αὐτῷ χρήματα προςῄει πολλὰ μηδ' ὑπὸ τοῦ Διός, ὥς φησιν αὐτός, βλαβῆναι δυναμένων;* filium enim non solam agri culturam docuit, sed omnino, quo modo rem familiarem augeret, cf. 21, 8. Eodem fortasse pertinet 25, 1: *φησὶ γὰρ δυσὶ κεχρῆσθαι μόνοις πορισμοῖς, γεωργίᾳ καὶ φειδοῖ,* quamquam talia certo contendi nequeunt. — Quodsi verum, quod O. Iahn in actt. societ. litt. Sax. 1850 p. 263 sqq. mihi persuasit, libros hos ad Marcum filium uno corpore coniunctos fuisse, fortasse etiam quae de medicis graecis Cato profert 23, 3 sq. Plutarchus ex ipso hausit, cf. Plin. XXIX, 7, 14 sq. 8, 15; recte autem haec praeceptis, non carmini de moribus videtur vindicasse Iordan ann. ph. l. s. s. p. 388 et mus. Rhen. l. s. s. p. 263. — Praeterea novit Plutarchus librum qui adhuc extat de re rustica, 25, 1: *καὶ συντέτακταί γε βιβλίον γεωργικόν, ἐν ᾧ καὶ περὶ πλακούντων σκευασίας καὶ τηρήσεως ὀπώρας γέγραφεν, ἐν παντὶ φιλοτιμούμενος περιττὸς εἶναι καὶ ἴδιος.* De placentis cf. Cat. de. r. r. 76: 'Placentam sic facito: farinae siligineae' cet.; de fructuum conservatione cf. Cat. l. s. s. 99: 'Fici aridae si voles, ut integrae sint, in vas fictile condito, id amurca decocta unguito.' — Legit etiam, ni fallor, epistolam ad filium Plutarchus, v. Cat. mai. 20, 8. Saepius autem in Catonis scriptis invenit laudes filii praemature mortui, 24, 6.

Annalium *C. Acilii Glabrionis* mentio fit Rom. 21, 7: *Γάιος δὲ Ἀκίλιος ἱστορεῖ πρὸ τῆς κτίσεως τὰ θρέμματα τῶν*

---

1) Hanc sententiam quamquam O. Iahn actt. societ. litt. Saxon. 1850 p. 269, Boeckh actt. acad. Berol. 1854 p. 282, Ritschl poes. Sat. spicil. p. 11, alii carmini de moribus tribuerunt, tamen Iordano assentior praeceptis eam tribuenti mus. Rhen. nov. XIV p. 264. Cat. quae ext. l. s. s.

περὶ τὸν Ῥωμύλον ἀφανῆ γενέσθαι, τοὺς δὲ τῷ Φαύνῳ προσευξαμένους ἐκδραμεῖν γυμνοὺς ἐπὶ τὴν ζήτησιν, ὅπως ὑπὸ τοῦ ἱδρῶτος μὴ ἐνοχλοῖντο· καὶ διὰ τοῦτο γυμνοὺς περιτρέχειν τοὺς Λουπέρκους. Praeterea Glabrioni videtur debere Plutarchus, quae de sermone illo Ephesi inter Hannibalem et Scipionem orto narrat Flamin. 21, 3 sqq. Livius enim XXXV, 14 ex Claudio, qui graecos Acilianos libros latine vertit (cf. Liv. XXV, 39), refert, Hannibalem a Scipione interrogatum Alexandrum primum imperatorem declarasse, secundum Pyrrhum, tertium semet ipsum, primum vero se futurum fuisse, si Scipionem vicisset. Eandem narratiunculam significat Pyrrh. 8, 2, quo ex loco apparet, Scipionis quoque vitae eam insertam fuisse. Sed ibi Plutarchus aut alium secutus auctorem aut memoriae errore Pyrrhum primo loco, Scipionem secundo, se tertio nominantem facit Hannibalem. Fortasse tamen non ex ipso Glabrionis opere sed ex Livio sua hausit, quem compluriens in Flaminini vita fontem exhibet.

Sequitur ut dicamus de *L. Calpurnio Pisone Frugi*, quem semel citat Plutarchus Num. 21, 4: *τοῦτον* (sc. *Μάρκιον Ἄγκον*), *ὡς λέγεται, πενταετῆ καταλιπὼν ὁ Νομᾶς ἐτελεύτησεν, οὐ ταχείας οὐδ' αἰφνιδίου γενομένης αὐτῷ τῆς τελευτῆς, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν ὑπὸ γήρως καὶ νόσου μαλακῆς ἀπομαραινόμενος, ὡς ἱστόρηκε Πίσων.* Sed etiam nomine non addito saepe eius annalibus usus est.

Narraverat Piso, unde lacus Curtius hoc nomen invenisset sic teste Varrone de l. l. V, 149: 'Piso in annnalibus scribit Sabino bello, quod fuit Romulo et Tatio, virum fortissimum Metium Curtium Sabinum — Curtium in lacum[1]) palustrem, qui tum fuit in foro — secessisse atque ad suos *se* (coni. Mueller) in Capitolium recepisse; ab eo lacum invenisse nomen'. Plutarchus hanc nominis explicationem praetulit usitatiori, quae est apud Liv. VII, 6, sic dicens Rom. 18, 4: *Κούρτιος γὰρ ἀνὴρ ἐπιφανής, δόξῃ καὶ φρονήματι γαῦρος, ἵππον ἔχων πολὺ*

1) 'Lacum', non 'locum', cum codd. legendum est.

πρὸ τῶν ἄλλων ἐχώρει· δεξαμένου δὲ τοῦ βαράθρου[1]) *τὸν ἵππον ἄχρι μέν τινος ἐπειρᾶτο πληγῇ καὶ παρακελεύσει χρώμενος ἐξελαύνειν, ὡς δ' ἦν ἀμήχανον, ἐάσας τὸν ἵππον ἑαυτὸν ἔσωζεν. ὁ μὲν οὖν τόπος δι' ἐκεῖνον ἔτι νῦν Κούρτιος λάκκος ὀνομάζεται.* — Piso Tullum Hostilium fulmine ictum esse memoriae tradidit, cf. Plin. II, 54, 140. XXVIII, 4, 14, cum maxima pars historicorum hominum insidiis eum interisse dicerent, Dionys. III, 35. Hic quoque Plutarchus antiquam traditionem servare quam rationibus historicorum obsequi maluit, Num. 22, 7. — Pisonem scimus narrasse, Collatinum ex urbe pulsum esse propter nomen, cf. Gell. XV, 29 (ubi tamen pro, 'Romam contendat' vel 'Roma incontendat' legendum puto 'Roma incoacte evadat', cf. Liv. II, 2). Idem post alias expulsionis causas commemoratum est Plut. Poplic. 7, 4: *ἤχθοντο δ' αὐτοῦ καὶ τῷ δευτέρῳ τῶν ὀνομάτων, ἀφοσιούμενοι τὸν Ταρκύνιον.* — Pisonem respiciens Plutarchus Poplic. 14, 1 in incerto relinquit, utrum Tarquinius Superbus filius fuerit Prisci an nepos; nam ille nepotem eum dixerat, cf. Dionys. 4, 7. Tertium in eadem vita Pisonis extat vestigium 15, 3; Piso enim Tarquinium Priscum quadraginta milia pondo argenti in fundamenta templi Capitolini impendisse affirmaverat, quem numerum Livius I, 55 reicit.

Semel tantum *C. Sempronium Tuditanum* auctorem exhibet Plutarchus in descriptione triumphi a T. Flaminino acti, 14: *τό τε τῶν χρημάτων πλῆθος οὐκ ὀλίγον ἦν, ὡς ἀναγράφουσιν οἱ περὶ Τουδιτανὸν*[2]) *ἐν τῷ θριάμβῳ κομισθῆναι χρυσίου μὲν συγκεχωνευμένου λίτρας τρισχιλίας ἑπτακοσίας δεκατρεῖς, ἀργύρου δὲ τετρακισμυρίας τρισχιλίας διακοσίας ἑβδομήκοντα, φιλιππείους δὲ χρυσοῦς μυρίους τετρακισχιλίους πεντακοσίους δεκατέσσαρας, χωρὶς δὲ τούτων τὰ χίλια τάλαντα, ἃ Φίλιππος ὤφειλεν.*

---

1) De palude, quae tum temporis in foro erat, Plutarchus dixit eiusdem cap. paragr. antecedenti.

2) *τὸν Ἰτανόν* codd., *Τουδιτανόν* anonymus.

C. Fannium historicum, cui veritatis laudem tribuit Salustius histor. l. I teste Victorino ad Cic. de inv. I, 20, 28 (Cic. schol. ed. Or. p. 57), semel tantum nominat Plutarchus Ti. Gracch. 4, 5 de Carthaginis expugnatione: *καὶ τοῦ γε τείχους ἐπέβη τῶν πολεμίων πρῶτος* (sc. *Τιβ. Γρ.*), *ὥς φησι Φάννιος, λέγων καὶ αὐτὸς τῷ Τιβερίῳ συνεπιβῆναι καὶ συμμετασχεῖν ἐκείνης τῆς ἀριστείας.* Quamquam autem saepius Plutarchum eo usum esse suspicor, cum sui temporis historiam sine dubio accurate descripserit, tamen nihil certi hac de re affirmari potest. Sed Fannio deberi crediderim, quae ex Q. Metelli in Ti. Gracchum oratione deprompta leguntur Ti. Gr. 14, 3. Nam teste Cicerone Brut. 21, 81 haec ipsa oratio a Fannio annalibus inserta erat. — Pauca infra addam, cum de Ti. Graccho loquar.

Sequitur *Clodius Licinus*, de quo erit dicendum, quia Bergk (apud Buntium de Hygini vita et scriptis p. 10) eundem esse hunc censuit atque *Clodium* ap. Plut. Num. 1, 1, qui scripsit *ἔλεγχον χρόνων.* Qui Clodius vera crux est philologorum. Tres autem praeter Bergkii extant de eo opiniones, Niebuhrii hist. Rom. II p. 3, qui Clodium Plutarcheum eundem esse existimat ac *Claudium Quadrigarium,* C. Fr. Hermanni, qui *Ser. Claudium* eum esse censet, Krausii (vitt. et fragm. histor. Rom. p. 214), cui hic Clodius idem videtur esse, qui ap. Appian. Celt. p. 36 (Bekk.) *Paulus Claudius* vocatur cuiusque *χρονικαὶ συντάξεις* citantur. — Atque Hermanni quidem coniectura minimam habet veri speciem; est ea prolata in indic. litter. Gotting. 1849 p. 1460 his: 'Der 'unbekannte' Clodius, aus welchem Plutarch die Schmiedung unechter Familienpapiere nach dem gallischen Brande erwaehnt, duerfte aller Wahrscheinlichkeit nach der Zeitgenosse von Cicero sein, welchen dieser Fam. IX, 16 literatissimum nennt und um dessen Buecher er Att. I, 20 dringend bittet (his libris — mihi vehementer opus est) — unstreitig weil ihm zu seinen historischen Untersuchungen eben dessen *ἔλεγχος χρόνων* von Wichtigkeit war'. Hunc Ser. Claudium sive Clo-

dium, quem Cicero ll. s. ss. commemorat, grammaticum scimus fuisse (cf. Sueton. gramm. 2 sq.) et Plauto praecipue operam navasse, nihil autem de libro historico ab eo composito comperimus. Audacius autem videtur, inde, quod tum temporis Cicero in historicis studiis versabatur et quod sibi libris graecis et latinis a Claudio relictis vehementissime opus esse dicit, colligere, huius Claudii ἔλεγχον χρόνων esse. Nam primum non indicat Cicero ad Att. I, 20, 7, quot operum a Claudio relictorum ipse Claudius auctor fuerit. Accedit quod nullo verbo Cicero prodit, ad historica studia se Claudii libros desiderare. Denique de nullo alio opere historico loquitur Cicero, quam de consulatus sui historia (ibid. 19, 10), ad quam perficiendam sane non egebat Claudiani libri, in quo de fide historiae antiquae expositum erat. — Hac igitur coniectura relicta ad ceteras pergamus. Sed Niebuhrii rationem non habebimus, quia is pro ἔλεγχος legit ἀναγραφή, quae vox non invenitur in codicibus. Bergk autem ἔλεγχος χρόνων voces idem fere videtur habuisse atque annales; nec multo aliter Krause, qui vertit 'index temporum' et simile hoc videtur nomen habuisse ac χρονικαὶ συντάξεις, ut fecit Schwegler quoque h. R. I p. 38 ann. 2. Sed quamquam Plutarchus dicit, sic *fere* (οὕτω πως) libro illi inscriptum fuisse, tamen illam significationem nullo modo concedam vocibus ἔλεγχος χρόνων inesse. Nullo enim aut Plutarchi aut alius graeci auctoris loco indicem id quod est ἔλεγχος aequare probatur. Solus extat locus Plinii praefat., ubi 'historiarum mundi elenchos' pro indice dicitur, et fortasse Sueton. gramm. 8 'annalium Ennii elenchi' indices significant. Quibus exemplis ullo tempore hanc significationem in graecis scriptoribus usquam extitisse non firmatur. Quod ut concederemus, tamen Plutarchus non credi posset sic opus illud nominasse, quippe cui, sive annales intellegebat sive chronologicum aliquod scriptum, alia verba satis multa praesto essent, quibus accuratius quid vellet indicaret. Ad verbum vero si vertimus ἔλεγχος χρόνων aut 'refutatio temporum' est, aut 'examen tempo-

rum'[1]). Eiusmodi ergo librum Plutarchus intellegit, ubi quantum temporum rationi fidei tribuendum sit quaeratur. Cui consilio aptissimum esse exemplum a Plutarcho allatum nemo negabit. Iam quanti sint faciendae illae coniecturae unusquisque videt. Carent enim omni certo fundamento, nisi forte inde, quod Claudius Quadrigarius a Gallico incendio orsus erat, colligere velimus, eius esse librum, de quo loquimur. Satis ignotum tamen hunc Clodium fuisse inde, nisi fallor, apparet, quod τὶς pronomen additur eius nomini, sicut factum est in Gaio quodam Pisone Plut. Mar. 45, 5.

Publius Rutilius Rufus graeco sermone historiam Romanam condidit (Athen. IV pag. 168 D), patrio de vita sua scripsit, quorum scriptorum illo Plutarchus videtur usus esse. Narrat enim Pompei. 37, 3, Rutilium in historiis improbissimum hominem demonstrasse Pompei Magni patrem. Ideo illa quoque, quae leguntur Plutarch. Mar. 28, 5: *ὡς δὲ Ῥουτίλιος ἱστορεῖ, τὰ μὲν ἄλλα φιλαλήθης ἀνὴρ καὶ χρηστός, ἰδίᾳ δέ τῷ Μαρίῳ προσκεκρουκώς, [φησὶν ὡς] καὶ τῆς ἕκτης ἔτυχεν* (sc. *Μάριος*) *ὑπατείας ἀργύριον εἰς τὰς φυλὰς καταβαλὼν πολὺ καὶ πριάμενος τὸ Μέτελλον ἐκκροῦσαι τῆς ἀρχῆς, Οὐαλέριον δὲ Φλάκκον ὑπηρέτην μᾶλλον ἢ συνάρχοντα τῆς ὑπατείας λαβεῖν*, historiae nostro iure vindicamus. De veritate autem Rutilii Plutarchus iudicium facere non potuit, nisi saepe inspectis eius libris expertus eam esset; id quod inde quoque fit vero simile, quod graece Rutilius scripserat. In tanta tamen fragmentorum penuria nihil certi affirmari potest.

Iam de *L. Cornelii Sullae* commentariis dicamus latina lingua[2]) scriptis, quibus res a se gestas exposuerat. Viginti duo libros ei continebant, quorum ultimum secundo ante mor-

---

1) 'Censura tempp.' vertit Roth in Salust. ed. Gerlach. 1853 p. 322.

2) Heeren quidem graece Sullam scripsisse affirmat l. s. s. p. 151, tria Gellii (I, 12, 16. XX, 6, 3) et Prisciani (p. 864) testimonia nihili faciens.

tem die finierat, Plut. Sull. 37, 1. Lucullo hos dedicaverat, ut videmus ex Plut. Sull. 6, 6, Lucull. 1, 3. 4, 4, blanditias de eius ingenio et doctrina addens. — Usus autem est Plutarchus Sullanis libris Mar. 25, 4 in descriptione aciei apud Vercellas factae: *περιέσχον δὲ τὸν Κάτλον* (sc. *οἱ Μαρίου στρατιῶται*) *ἐν μέσῳ νεμηθέντες εἰς ἑκάτερον κέρας, ὡς Σύλλας, ἡγωνισμένος ἐκείνην τὴν μάχην, γέγραφε.* Addit deinde Plutarchus, cur sic aciem instruxerit Marius, verbis *καί φασι*, quae recte videtur Bryanus mutasse in *καί φησι*, si quidem Sullam, quae erat malevolentia in Marium, illas criminationes adiecisse suspicari consentaneum est. — Eundem Plutarchus sequitur auctorem in descriptione ipsius pugnae, nam bis eum nominat Mar. 26, 3. Ab aliorum scriptorum expositione recedens, qui eum consulem in Marii domum confugisse tradebant, Sulla a Sulpicio eo se actum esse narraverat, Mar. 35, 3. Sull. 4, 3 ipse Sulla auctor est, Marium a se vehementer vexatum esse; se ipsum enim, qui rei frumentariae sub Catulo praefuisset, tantam copiam attulisse, ut, dum Catuli milites in abuudantia viverent, etiam Marianis donasset. Causam repulsae, quam in petenda praetura tulit, Sulla populi libidini ferarum pugnas videndi tribuit Plut. Sull. 5, 1; notam enim fuisse amicitiam, quae inter se et Bochum intercessisset, ideoque populum aedilem se quam praetorem maluisse. Sull. 6, 5 sqq. Plutarchus ostendit ex Sullae scriptis, quemadmodum is omnes res ad fortunam rettulerit; Lucullo quoque eum persuasisse, ut nihil tam firmum crederet, quam quod deus noctu iuberet (cf. Lucull. 23, 6); cumque bello Marsico declaratum esset ostento, virum bonum specie singulari praesentes turbas ab urbe depulsurum, se significari dixisse Sullam. Athenarum expugnationem describens Plutarchus ex Sulla repetit commemorationem M. Atei, qui primus murum conscenderit ibique summa cum virtute permanserit, et Kal. Mart. Athenas esse expugnatas. 16, 1 Sulla collis cuiusdam, quem in Boeotia castris instruxit, naturam et situm laudat. In decimo libro oraculum a Trophonio sibi datum exposuit, Sull. 17, 1. Post

Chaeroneensem pugnam quattuordecim tantum milites se desiderasse gloriatus erat, quorum duo sub vesperum redissent, Sull. 19, 4. Archelaum defenderat ab opprobrio quasi Mithridatis res consulto male in Graecia gessisset, Sull. 23, 3. Contra quindecim duces hostiles, qui quadringentos quinquaginta manipulos sub imperio suo habuissent, mare Ionicum se transgressum esse affirmaverat; et postquam Norbanum cum magnis copiis fugatum Capuae inclusit, hanc victoriam dixerat fuisse causam, cur non milites sui se dissipassent, sed manentes hostium numerum contempsissent; Romam autem petenti servum sibi obviam venisse divino numine inspiratum et victoriam nunciasse, et Capitolii incendium, nisi properaret, quod etiam accidisset eodem quem homo dixisset die, Sull. 27, 3 sqq. In pugna ante Romae portas commissa viginti tres milites se amisisse, at hostium viginti milia occidisse et octo milia cepisse gloriatus erat, Sull. 28, 8. De morte sua quodammodo ipse scripserat, ut dicit Plutarchus Sull. 37, 1; narraverat enim, quid sibi Chaldaei de mortis tempore dixissent quidque ipse de eo somniasset.

Ex his viginti fere locis recte coniciemus magnas Sullae in ipsius et Marii vitis partes esse, etsi non oblitus est Plutarchus, suas res a Sulla narrari (cf. Plut. Sull. 5, 2). Sed quia perpauca tantum ex Sullanis commentariis servata sunt, nihil certi inde concludi potest. Illud quoque, quod legimus apud Cicer. de div. I, 33, 72: 'ut in Sullae scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est, ut, cum ille in agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima ara subito anguis emergeret, cum quidem C. Postumius haruspex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret: id cum Sulla fecisset, tum ante oppidum Nolam florentissima Samnitium castra cepit' (cf. Val. Max. I, 6, 4); ne hoc quidem, inquam, nisi primo aspectu a Plutarcho Sull. 9, 3 ex ipso Sulla sumptum videtur. Apud Ciceronem enim, postquam sacrificavit Sulla, Samnitium castra capit, apud Plutarchum Romam contra Marium egreditur. Nec apud Ciceronem pro 'Sullae hi-

storia' Marsus et Orelli scribere debuere 'Sisennae historia', susque deque habita omnium codicum auctoritate; nam tum etiam pro 'ille', quod est in codicibus, 'Sulla' ponendum est; nimiae autem audaciae est coniecturam tali modo coniectura fulcire. Inusitata sane est 'historia' vox pro 'libri rerum suarum', sed ferri potest opinor. Teste enim Gellio V, 18 init. fuerunt qui historiam narrationem earum rerum ducerent, quibus interfuisset is qui narraret (cf. Nipperdeium praef. ed. ann. Tacit. p. X). Praeterea Plutarchus Lucull. 1, 3 ipsum Sullam secutus historiae voce utitur, quae aliqua certe ex parte ad Sullanos commentarios pertinet.

Belli Marsici historiam a *Lucullo* admodum iuvene scriptam esse etsi novit Plutarchus Lucull. 1, 5, adhibitam tamen esse ab eo non crediderim, quia nihil fere de hoc bello tradidit.

Venimus ad eum, qui fusissime historiam Romanam tractavit, *Valerium* dico *Antiatem*. Liebaldt quidem (de Val. Ant. pag. 6) teste Plinio XIII, 27, 88 ('idem tertio ponit quo comburi eos (sc. Numae libros) placuerit') Antiatem tertio libro usque ad annum IↃLXXIII (cf. Liv. XL, 29) progressum esse existimat; cum autem in secundo libro de Numa dixerit (cf. Plin. l. s. s. §. 87), duobus his libris quinque ad minimum saecula contenta fuisse necesse est. Latius igitur Fabius Pictor antiquas res descripserat, qui quarto libro usque ad 'duo et vicesimum'[1]) annum post cladem Alliensem pervenit (cf. Gell. V, 4), quamquam aliter videtur de horum ubertate sensisse Dionysius I, 6 coll. c. 7. Accedit quod Hertz Gell. VI (VII), 9, 12, ubi res a. u. IↃCXVII gesta ex Antiate refertur, optimorum codicum auctoritate restituit libri numerum XXII pro XII, ut antea legebatur. Nunc satis dilucide apparet, numerum illum Plinianum esse corruptum; nunquam enim credi potest Antias, cum quingentos annos bella Etrusca, Gallica, Samnitica, Latina, Punica primum et secundum, multas praeterea res uberiore expositione dignissimas continentes

1) Cf. Harless. de Fab. et Aufid. p. 24 sqq.

duobus libris perstrinxisset, subito sic narrationem suam extendisse, ut undeviginti libris quinquaginta sex annos complecteretur. Quid tamen pro 'idem III ponit' scribendum sit difficile est dicere; fortasse 'idem XI', tum libri III—XI continerent historiam reipublicae circ. trecentorum septuaginta annorum, libri XI—XXII circ. quinquaginta sex, libri XXII—XLV circ. viginti septem annorum, Gell. VI (VII), 9, 9, cf. Pigh. ann. Rom. III. p. 121. Potest etiam scripsisse Plinius 'item II', ut Plutarchus quoque, qui ex Antiate sua hausit, fata librorum Numae huius regis vitae adicit, Num. 22, 4.

Non raro autem Plutarchus Antiate auctore utitur. Primum nominat eum Rom. 14, 6, quem locum, ut iam supra indicavi, cum Kiesslingio l. s. s. p. 27 sic legendum censeo: *ἁρπασθῆναι δέ φασιν οἱ μὲν τριάκοντα μόνας, ἀφ' ὧν καὶ τὰς φρατρίας ὀνομασθῆναι, Ἰόβας δὲ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι καὶ πεντακοσίας, Οὐαλέριος δὲ Ἀντίας τρεῖς καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑξακοσίας παρθένους.* — De Numae scriptis modo dixi, quorum numerum cum aliter alii traderent, Plutarchus Valerium secutus est Num. 22, 4: *οἱ δὲ περὶ Ἀντίαν ἱστοροῦσι, δώδεκα μὲν εἶναι βίβλους ἱεροφαντικάς, δώδεκα δὲ ἄλλας Ἑλληνικὰς φιλοσόφους τὰς εἰς τὴν σορὸν συντεθείσας*, cf. Plin. XIII, 27, 87, ubi falso 'duo' pro 'duodecim' legebatur. — Valerium habet auctorem Flamin. 18, 3 sqq. cf. Cat. mai. 17, 2 sqq., L. Flamininum non puero dilecto sed puellae obsequentem non transfugam sed capitis damnatum securi percuti iussisse, Ciceronisque testimonio (de senect. 12, 42) alteram Antiatis sententiam defendit a nimiis Livii XXXIX, 43 criminationibus. — Iam restat ut indagemus, ubi Plutarchus, etsi Valerium non nominet, tamen ex eo mutuatus sit.

Certissimum huius rei exemplum reperimus Num. 15, 3 sqq. coll. Arnob. V, 1, ubi ex Antiatis annalium libro II de Iove Elicio refertur. Narratur Numa Picum et Faunum dolo cepisse, vino aquae fontis, unde illi bibere soliti essent, immixto. Tum Plutarchus, postquam aliam de eis, quae secuntur, traditionem dedit, sic pergit: *ἔνιοι δὲ οὐ τοὺς δαίμονάς*

φασιν ὑποθέσθαι τὸν καθαρμόν, ἀλλ' ἐκείνους μὲν καταγαγεῖν τὸν Δία μαγεύσαντας· τὸν δὲ θεὸν ὀργιζόμενον τῷ Νομᾷ προστάσσειν, ὡς χρὴ γενέσθαι τὸν καθαρμὸν κεφαλαῖς· ὑπολαβόντος δὲ τοῦ Νομᾶ 'κρομύων'; εἰπεῖν 'ἀνθρώπων'· τὸν δὲ αὖθις ἐκτρέποντα τὸ τοῦ προστάγματος δεινὸν ἐπερέσθαι 'θριξίν'; ἀποκριναμένου δὲ τοῦ Διὸς 'ἐμψύχοις', ἐπαγαγεῖν τὸν Νομᾶν 'μαινίσι'; ταῦτα λέγειν ὑπὸ τῆς Ἠγερίας δεδιδαγμένον. καὶ τὸν μὲν θεὸν ἀπελθεῖν ἵλεω γενόμενον κτλ. Apud Arnobium autem l. s. s. haec extant: „illos statim perdocuisse regem, quibus ad terras modis Iuppiter posset et sacrificiis elici et accepta regem scientia rem in Aventino fecisse divinam, elexisse ad terras Iovem ab eoque quaesisse ritum procurationis morem. Iovem diu contatum 'expiabis', dixe, 'capite fulgurita'; regem respondisse 'caepitio'. Iovem rursus 'humano'; retulisse regem 'sed capillo'. Deum contra 'animali'; 'maena'[1]) subiecisse Pompilium. Tunc ambiguis Iovem propositionibus captum" cet. — Ridiculosa quidem talia et fabulosa Plutarchus nominat, non tamen auctorem suum, sed Numae temporis homines vituperat.

Valerius contra multorum aliorum opiniones Numam primum intercalasse affirmaverat teste Macrob. Sat. I, 13, 20: 'Quando autem primum intercalatum sit, varie refertur, et Macer quidem Licinius eius rei originem Romulo assignat. Antias libro secundo Numam Pompilium sacrorum causa id invenisse contendit'. Quocum consentit Plutarchus Num. 18, 2: *ἐπήγαγε* (sc. *Νομᾶς*) *παρ' ἐνιαυτὸν ἐπὶ τῷ Φεβρουαρίῳ μηνὶ τὸν ἐμβόλιμον.* — Maxime vero Valerii rationem Plutarchus videtur habuisse in vita Poplicolae conscribenda; quod non est cur miremur, cum Plutarchum summo studio virtutes ac res gestas virorum ornasse satis constet. Hac de re tamen Schwegler h. R. II p. 8 aliisque locis et Kiessling l. s. s. p. 21. 24 sqq. ita dixerunt, ut pauca tantum restent, quae addere possim. Aperte autem ea aut studium ostendunt Popli-

1) 'animali maena' Hildebrand pro 'animalia' codd.

colae gloriam extollendi, aut tam sunt singularia, ut vix aliunde hauriri potuerint nisi ex Valeriae gentis commentariis. Sic omnia, quae a Plutarcho Poplic. 2 de Valerio narrantur, quorum nihil apud ceteros historicos extat, haud dubie Antiati debentur. Nam ibi persequitur, Poplicolam, cum initio iratus fuisset, quia non ipse pro Collatino consul factus esset, senatu se abstinuisse, tum vero Bruto auctore primum omnium iurasse, nihil se Tarquiniis cessurum, sed semper contra eos pugnaturum, eamque fidem statim re ipsa firmasse; nam legati a Tarquinio missi Valerium impetrasse contra consulum voluntatatem ne ad comitia admitterentur. — Deinde coniurationem Vindicius servus non, ut ap. Liv. II, 4, consulibus prodit sed Poplicolae ap. Plut. Popl. 5 cf. Dionys. V, 7; et coniuratione oppressa Poplicola Vindicio gratiam refert Plut. 7, 5, ambo consules ap. Dionys. V, 13; nullum nomen Livius exhibet II, 5. — Antias, ni fallor, auctor erat Plutarcho 12, 2, a Poplicola duo quaestores aerarii creatos esse [1]) ipsumque aerarium ab eodem in Saturni templo positum. — Tum magnae sunt partes Poplicolae in Appio Claudio commovendo, ut Romam veniat ap. Plut. 21, 4, qua de re nihil omnino Dion. V, 40 nec Liv. II, 16.

Occasione autem oblata iniustum crimen a Kiesslingio l. s. s. p. 37 Plutarcho obiectum refellam. Dionysius enim V, 35 de statua equestri Cloeliae aut Valeriae loquens sic pergit: *ταύτην ἡμεῖς μὲν οὐκέτι κειμένην εὕρομεν*, quibus cum verbis conspirant Plinius XXXIV, 6, 29 et Livius II, 13. Itaque Kiessling simile vero ducit, Plutarchum Antiatis auctoritatem sequi quam ipsum cogitare maluisse, quippe qui scripsisset Popl. 19, 5: *ἀνάκειται ἀνδριὰς αὐτῆς.* Sed habemus duo praeterea veterum testimonia, post Dionysii etiam tempora in sacra via fuisse hanc statuam, Senecae philosophi et Servii. Quorum prior haec verba facit consol. ad Marc. 16: 'equestri insidens statuae in sacra via, celeberrimo loco Cloe-

1) Cf. Niebuhr. h. R. I annot. 1157. Schwegler. h. R. II p. 138.

lia exprobrat iuvenibus nostris' cet., alter haec ad Verg. Aen. VIII, 646: 'cui (sc. Cloeliae) data est statua equestris, quam in sacra via hodieque conspicimus.' Audacius autem Schwegler h. R. II p. 56 ann. 2 conicit, Servium quoque neglegenter vetustioris alicuius scriptoris verba repetisse. Itaque censebimus, aut Dionysii etiam temporibus statuam equestrem in sacra via fuisse, quam tamen ille cum aliis non pro Cloeliae habuisset, fortasse quia non satis antiqua apparebat, aut post interitum veteris novam in locum eius positam esse. — De Valeria illa, quae apud Plutarchum Coriol. 33 suadet, ut mater et uxor Coriolano obviam eant, iam satis dixerunt Schwegler II p. 360 ann. 2 et Kiessling p 26, ut non habeam quod addam, nisi quod miror, Kiesslingium hic Dionysium a Plutarcho exscriptum putare. Nam satis ostendisse mihi videor, diligentius a Plutarcho ipsum Valerium adhibitum esse, quam ut, ubi eius narrationes aeque apud Dionysium ac Plutarchum inveniuntur, statim hunc ex derivato iam fonte hausisse iudicaremus. Non autem sic, ut facit Schwegler I p. 121, contendi potest, ex Dionysio Plutarchum pleraque sua mutuatum esse. Proprios enim Plutarchum fontes excussisse in hac vita multae discrepantiae nec eae parvae demonstrant. Nihil apud Dionysium de rebus familiaribus Coriolani (Plut. 1. 4, 4), nihil de corona, quam Coriolanus post pugnam Regillensem accepit (Plut. 3), nihil de eius parum misericordi adversus plebem animo (Plut. 5, 4). Alio tempore apud Plutarchum c. 19 Coriolano dies dicitur, alio apud Dionysium VII, 58; fusius Plutarchus Coriolani petitionem consulatus et repulsam exponit 14. 15; quam Dionysius VII, 21; alia nomina Plutarchus matri et uxori imponit ac Dionysius quaeque sunt similia [1]). Inter hos Plutar-

---

1) Necessario diversum cogitari oportere numerum tribuum, quem Plut. Cor. 20, 4 indicat, ab eo, quem Dion. VII, 64 profert, quoniam uberiore expositione opus est, alio tempore contra Huschkium in Richteri ann. german. iur. scient. XII p. 585 probabo.

tarchi auctores Valerium fuisse non est quod negemus, magnamque partem similitudinum Plutarchi et Dionysii inde explicandam duco, quod uterque eosdem fontes habuit; Valerium autem uterque in deliciis habuit.

Nunc expeditis quae in praesens de historicis dicere volui, ad oratores duos me convertam, *Tiberium* dico et *Gaium Gracchos*. Atque *Gai* quidem, ut ab hoc initium faciam, orationes tam diu servatas Plutarcho notas fuisse ipse declarat C. Gr. 4, 4: *τοιαύτη μὲν ἡ πικρία τῶν λόγων ἦν αὐτοῦ, καὶ πολλὰ λαβεῖν ἐκ τῶν γεγραμμένων ἔστιν ὅμοια.* Aperte enim hic ipsius scripta opponuntur eis, quae alii ab eo dicta tradebant. Quod si tenemus, ea quoque verba, quae C. Gracchus *ἔν τινι βιβλίῳ*[1] *γέγραφεν* (Ti. Gr. 8, 7), ut unde Tiberius rei publicae sanandae consilium cepisset exponeret, ex oratione aliqua Gai esse desumpta censebimus, ex eadem fortasse, qua verba C. Gr. 3, 3 populum ad ulciscendam Tiberii mortem commoventia. Nam facillime Gaius hoc eo impetrare potuit, ut Tiberii in populum amorem praedicaret. Utrumque autem fragmentum tribuendum est, ni fallor, orationi in P. Popilium habitae; nam c. 4 Plutarchus pergit, Gaium, postquam talibus verbis populum excitasset, duas illas leges contra M. Octavium et P. Popilium tulisse. Et optime quidem cum his fragmentis conciliantur ea, quae leguntur ap. Fest. s. v. occisisantur p. 201 (Muell.): „C. Gracchus pro rostris in P. Popillium: 'homines liberi nunc in oppido occisitantur'". — Praeterea videtur novisse Plutarchus orationem in C. Fannium scriptam (C. Gr. 12, 2), quam Cicero quidem legerat (Cic. Brut. 26, 100). Num ea, quae affert Plutarchus C. Gr. 8, 1, ex oratione sumpserit diiudicare non ausim. — Sed ibid. 2, 5 nonnulla ex Gracchi oratione posuit, quam hic apud censores habuisset, cum invito praetore suo ex Sicilia reversus apud eos accusatus esset: *ἐστρατεῦσθαι μὲν γὰρ ἔφη δώδεκα ἔτη, τῶν ἄλλων δέκα στρατευομένων ἐν ἀνάγκαις, ταμιεύων δὲ*

---

1) De hoc libello vide quae infra p. 33 ann. 1 dixi.

τῷ στρατηγῷ παραμεμενηκέναι τριετίαν, τοῦ νόμου μετ' ἐνιαυτὸν ἐπανελθεῖν διδόντος, μόνος δὲ τῶν στρατευσαμένων πλῆρες τὸ βαλάντιον εἰςενηνοχὼς κενὸν ἐξενηνοχέναι, τοὺς δ' ἄλλους ἐκπιόντας ὃν εἰςήνεγκαν οἶνον, ἀργυρίου καὶ χρυσίου μεστοὺς δεῦρο τοὺς ἀμφορεῖς ἥκειν κομίζοντας. Ac verba posteriora mire consentiunt cum Gellii XV, 12, 4: „'Itaque', inquit (sc. C. Gracchus), 'Quirites, cum Romam profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli. Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento repletas domum reportaverunt'“; at ex concione ad populum Gellius haec repetit. Non erit, opinor, qui in duabus orationibus Gracchi eadem fuisse scripta existimet. Nusquam autem in concione censores reis ius dixisse invenimus, nisi quod post damnationem saepius coram populo causam eius quaesitam esse scimus, v. Plut. Cat. mai. 17, 5 Flamin. 19, 1 sq., cf. Goettling. hist. politiae Rom. p. 340. Aut igitur Plutarchus aut Gellius erravit. Et mihi quidem Plutarchi esse errorem persuasum est. Nam Gellius, qui multa ad verbum ex oratione affert, cum scripsit ipsam ante oculos videtur habuisse; apud Plutarchum vero quae dixit Gracchus non ipsius verbis, sed oratione obliqua exposita sunt. Praeterea quae primo loco Plutarchus protulit, ea tantum ad refellendum crimen apta sunt; nam quod C. Gracchus se bene munus suum explevisse contendit, id parum ad relictum ab eo praetorem. Itaque ex duabus orationibus apud censores et ad populum in concione habitis haec a Plutarcho mixta esse censeo, cui opinioni adminiculum quoddam res ipsa praebet. Apud Plutarchum enim Gracchus triennium se in provincia fuisse dicit, biennium apud Gellium l. s. s. §. 3. Nam ut, si minus accurate loquebatur, triennium se abfuisse affirmare potuerit (cf. Pigh. ann. Rom. III. p. 49), tamen in eadem oratione utrumque rationis genus usurpatum esse a veri similitudine abhorret. Violentius autem Lipsius ant. lectt. 5, 4 pro 'biennium' scripsit 'triennum', *διετίαν* pro *τριετίαν* Xylander. — Epistolae C. Gracchi num notae fuerint Plutarcho ambigi potest. Habet quidem narratiunculam illam de anguibus, qui

a patre Gracchorum domi comprehensi sint; qua de re ad M. Pomponium scripsisse C. Gracchum comperimus ex Cic. de div. II, 29, 62 cf. I. 18, 36 [1]). Sed ego non ex ipso C. Graccho haec sumpsisse Plutarchum arbitror: nam, ni fallor, si tam certum habuisset testem, nomen eius non tacuisset. Nemo praeterea post Ciceronem epistolam Gracchi commemorat. — *Corneliae* vero epistolas, quarum nonnulla adhuc superesse contra dubitationes aliorum probavit Nipperdey spicil. in Corn. Nep. p. 84 sqq., non legisse Plutarchum ipse nos docet C. Gr. 13, 2 [2]). Quod autem modo dixi, neminem post Ciceronem C. Gracchi epistolas commemorare, videtur obstare locus Charisii p. 79 (P.), quem accuratius aliquanto tractare non supervacaneum sit. Ita scriptus est: „Heres, parens, homo, etsi in communi sexu intellegantur, tamen masculino genere semper dicuntur. Nemo enim aut secundam heredem dicit aut bonam parentem aut malam hominem, sed masculine, tametsi de femina sermo habeatur. Nam Marcus ait 'heredes ipsus secundus'; et Pacuvius in Medo, cum ostenderet a Medo matrem quaeri, ait: 'te, Sol, invoco, ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis'. Sed Gracchus 'suos parentes amat', cum dicit in significatione matris, et in alia epistula 'tuus parens sum' ait, cum

1) Nipperdey spicil. in Corn. Nep. p. 88 non epistolam hoc Ciceronis loco intellegendam censet, sed commentarium quendam historicum, qualem Mercklin de Corneliae Gracchorum matris vita, moribus et epp. p. 36 in libello Ti. Gr. 8, 7 commemorato detexerit. Equidem tamen dubito, num solis verbis 'C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit' aliud quid nisi epistola significetur. Nec magis *βιβλίον* illud de opusculo historico accipio. Vix enim cogitari potest, quomodo factum sit, ut talis libri nusquam mentio exstaret, cum tam saepe orationes Gracchi commemorentur; ut nusquam Cicero, ubi de historicis plerumque sane mediocribus loquitur, Gracchi meminisset; ut denique Cicero, qui in Bruto C. Gracchum laudibus extollit, nihil diceret de hoc litterarum genere, quamquam ne Scauri quidem libros de vita sua scriptos, 'quos nemo legit,' praetermisit. — *Βιβλίον* autem vox omne genus scriptorum significat.

2) Hunc locum Heeren l. s. s. p. 132 affert, ut a Plutarcho Corneliae epistolas lectas esse demonstret.

de se loqueretur. Et apud Vergilium sic legimus 'ecqua tamen puero est amissae cura parentis'". Optime de hoc loco disputavit Nipperdey l. s. s. p. 86. Exponit, inepte verba 'tuus parens sum' a viro dicta intellegi, nam neminem unquam quin 'parens' patris significatione masculine usurparetur dubitasse; praeterea non posse plurali numero unam matrem significari, deinde nec 'sed' particulam nec 'et', qua Vergilii exemplum adiungatur, recte habere; tum ne illa quidem 'cum dicit in significatione matris' recta esse, quia quid dixisset Gracchus omitti non potuerit; postremo in eo offendit, quod Charisius quamvis supra parentem unquam feminino genere poni negaverit, tamen ex Vergilio eius rei exemplum attulerit. — His praemissis ad locum sanandum progredior, ab extremis verbis exorsus. Ac Vergilii versum l. III, 341 ut genuinum nuperrimo editori O. Ribbeckio concedamus, etsi equidem aliter de eo sentio, apud Charisium tamen non ferendus est; ubi praeter gravissimam Nipperdei causam alicuius erit momenti quod nunquam Charisius auctores suos producit legendi verbo adhibito. Nostro igitur iure hoc additamentum posterioris lectoris eiciemus. Iam accedamus ad ea, quae praemissa sunt. Ubi pro 'sed' vocula 'et' scribi oportere liquet. Nec 'suos parentes' ullo modo potest tolerari. Nam praeterquam quod unam matrem non posse plurali significari rectissime observavit Nipperdey, in hoc numero prorsus diversa est quaestio atque in singulari. Parentes enim vox quin masculine tantum poneretur, nemini unquam dubium fuit, nec Charisio vel eius auctoribus in mentem venisse credemus, illud exemplo probare. Itaque 'suom parentem amat' legendum erit. Iam cuius sint verba 'tuus parens sum' quaeramus. Mulieris ea esse consentaneum est; nullius autem, quod equidem sciam, mulieris epistolae nominantur nisi Corneliae Gracchorum. Itaque cum antea dubium aliqua ex parte fuerit, ad quam matrem verba Gracchi referenda essent, nunc de ipsius matre maiore cum veri similitudine ea accipiemus et pro 'in alia

epistula' scribemus 'illa in epistula' (illa h. e. mater) [1]. 'Suom parentem amat' de sua matre potuit dicere, si de se ipso tertiam personam adhibuit noto Romanorum usu, cf. Nipperdei. l. s s. p. 97. In matris autem mentionem facile in oratione aliqua incidere potuit, ut factum est ap. Plut. C. Gr. 4, 2. Itaque sic fortasse Gracchus locutus est: 'Gracchus suom parentem amat'. 'Ille' pronomen sic positum v. Hor. epp. I, 2, 42. Quid dixisset Gracchus in significatione matris addi non opus erat, quia satis plane ex conexu apparebat. Ita igitur scribendum censeo: „et Gracchus '(Gracchus) suom parentem amat', cum dicit in significatione matris, et illa in epistula 'tuus parens sum' ait, cum de se loqueretur.“

Tiberii quoque *Gracchi* orationes, quas non minus quam Gai in manibus hominum fuisse ostendunt Cic. Brut 27, 104 et Plin. XIII, 26, 83, Plutarcho notas fuisse ipsius verba certiores nos faciunt Ti. Gr. 15, 1: *λόγον ἐν τῷ δήμῳ διεξῆλθεν, οὗ μικρὰ παραθέσθαι τῶν ἐπιχειρημάτων οὐκ ἄτοπον ἦν, ὥστε ὑπονοηθῆναι τὴν πιθανότητα καὶ πυκνότητα τοῦ ἀνδρός.* Narrat deinde Plutarchus summam eius orationis, qua Tiberius explanavit causas, cur sibi Octavium tribunatu privare licuisset Attamen has orationes a Plutarcho ipsas lectitatas esse non tam certo testimonio firmari potest quam Gai orationes. Ex Fannio quoque sua haurire potuit, quem supra orationes in historiam suam recepisse vidimus. Eadem erit quaestio in eis, quae Tiberius de miseria plebis exponit Ti. Gr. 9, 4 sq. Non vero ex ipsius Tiberii oratione aliqua hausta sunt, quae Ti Gr. 11, 3 leguntur, si quidem non habet speciem veri, hanc cum Octavio altercationem a Tiberio scriptam fuisse.

---

1) Lindemann, qui qua ratione utrumque locum ad Corneliae epistolas referre vellet non indicavit, facile credo explicaret, quomodo verba 'cum dicit in significatione matris' cum sequentibus 'cum de se loqueretur' conciliarentur.

BONNAE, FORMIS CARTHAUSII.